



Disputatio juridica inauguralis de testamentis

<https://hdl.handle.net/1874/347318>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
TESTAMENTIS,

50.

QUAM,
AUSPICE DIVINO NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

NEC NON
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis
ritè & legitime consequendis,

Publico examini subjicit
DANIEL GOES, ULTRAJECT.
A. D. 18. Februarii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ **FRANCISCI HALMA,** Academiae
Typographi, clō Ibc xc.

Clarissimo Consultissimoque VIRO
ac DOMINO

D. DANIELI VANDEN
BERGH, J. U. D. Curiae
Provincialis Ultrajectinae Ad-
vocato dignissimo, & praxeos
expertissimo, cognato meo
debito honore colendo.

N E C N O N

Gravissimo Spectatissimoque VIRO
ac DOMINO

D. JACOBO JORDANO
VAN WESTHRENNEN,
amico meo quamplurimum
honorando.

Offert ac dedicat

DANIEL GOES, *Auct.*



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
TESTAMENTIS.
T H E S I S I.



Ntequam Testamentis operam daturus sim, prius nosse oportet unde nomen Testamenti descendat, est autem à testatione appellatum *Gell. lib. 6. cap. 12.* sed quia variæ & multiplices sunt testationes quæ ex diversis oriuntur causis, adjectum est mentis id est ultimæ voluntatis, esse testationem idque & alibi in definiendis verbis observasse

*J*Ctos animadvertere licet *l. 1. ff. de novat. l. 35. §. 1. ff. de mort. caus. donat.*

I I.

Rei definitionem exhibet nobis Modestinus in *l. 1. ff. h. r.* Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod

A 2

quis

4 DISPUTATIO JURIDICA

quis post mortem suam fieri velit, dicitur *voluntatis nostrae* quia Testamentum ex alieno arbitrio pendere non debet *l. 32. ff. de hered. instit. iusta sententia.* ut sit jure & ejus solennitatibus conformis *l. 4. ff. b. r.* & excludantur omnes aliae imperfectae dispositiones, ut sunt Codicilli, causa mortis donationes &c. *de eo* id est super universis bonis, neque enim poterit paganus pro parte testatus & pro parte intestatus decedere *l. 7. ff. de R. J. quod quis post mortem suam fieri velit,* post mortem puta naturalem, non civilem, & secundo quia post mortem testatoris demum accipit vim & effectum *l. 1. ff. de hered. vel act. vend.*

III.

Antiquitus duo genera Testamentorum in usu fuisse constat, quorum altero in pace & otio utebantur, quod calatis comitiis appellabant: altero cum in praelium exituri essent, quod procinctum dicebatur, accessit denique tertium genus Testamenti per aë & libram nuncupatum §. 1. *J. b. r.* de iis vero non agam; sed formam Testamentorum faciendorum ex edicto prætoris introductam attingam.

I V.

Ut sciamus qui testari possint præmittenda est hæc regula, omnes testari posse qui non prohibentur. prohibentur quidam ob statum primo servi *l. 8. §. ult. ff. b. r.* filii familias de bonis profectitiis & adventitiis, & ratio est quia testamentum est dispositio de familia: filius vero familias non habet familiam, ergo nec disponere potest. Secundo quia lex 12. tabb. tantum loquitur de patrefamilias: exceptio tamen est in peculio castrensi & quasi castrensi *pr. J. quib. non est perm. fac. test.* secundo qui de statu suo dubitant *l. 15. ff. b. r.* 3. Is qui apud hostes est *l. 8. ff. eod. §. 5. J. eod.* Testamentum vero ante

ante captivitatem factum valet, siue moriatur apud hostes, siue revertatur: prius per fictionem legis Corneliae *l. 12. ff. b. r.* posterius per fictionem juris postliminii §. 5. *f. quib. non est perm. fac. test.* ob defectum vel animi vel corporis, animi impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est §. 1. *l. q. non est perm. fac. test.* furiosi, mente, capti, prodigi, quod vero ante vitium trium illorum factum est ratum permanet: ob defectum corporis prohibentur surdi & muti, qui à naturâ tales sunt, surdi & muti, qui peraccidens tales sunt facere Testamentum possunt juxta *l. 10. C. b. r.* & cæci secundum *l. 8. C. eod.*

V.

Ut Testamentum rite perfectum sit, hæc sequentia requiruntur.

Primo ut sint septem testes idonei §. 2. & 3, *de test. ord.* moribus duo cum notario sufficiunt. Causa hujus introductionis sunt Juris Canonici auctores qui & hoc fundant in verbis salvatoris nimirum in ore duorum consistit omnis veritas, sed Testamentis minimè convenit, nam testes non tantum adhibentur ut veritatem dicant vel deponant sed etiam adhibentur ad solennitates supplendas & sententia salvatoris fuit, quod non sufficiat unus testis, sed tamen non excludit plures.

II. Ut quisque annulo subsignet §. 5. *f. de test. ord.*

III. Ut testes specialiter ad hoc sint rogati *l. 21. §. 1. ff. b. r.*

IV. Ut omnes sint in conspectu testatoris §. 3. *l. h. r.* denique ut testatorem videant & cognoscant nisi Notarius eum sibi notum affirmet Simon à Leeuw. *cons. for. lib. 3. cap. 2. nu. 11.* rationem allegans ob vitandas scilicet subjectiones suppositionesque & fallacias quæ in hujusmodi rebus intervenire solent, de quibus fallaciis & suppositionibus exemplum videre est apud eundem Simon à Leeuw. *d. lib. 3. cap. 2. & nu. 12.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

V. Ut Testamentum fiat unico contextu, hoc est ut nullus actus extraneus intervenire possit *l. 21. §. fin. ff. h. t.* hinc sequitur quod contractus in testamento celebrari nequeat *l. 20. ff. de V. S. l. 21. §. 3. ff. h. t. §. 3. I. h. t.*

VI. Ut nomen hæredis per manum testatoris vel testium declaretur *§. 4. I. h. t.*

VII. Ut testator & testes propria manu subscribant *§. 3. I. eod.* si vero testator id ignoret, octavus testis ejus loco adhibetur *l. 21. C. de testam.*

V I.

Testes qui testamento admittuntur debent esse habiles, habiles sunt, cum quibus est testamenti factio, an passiva? verum ita impuberes & furiosi testes esse possent, an activa? verum tum etiam ad testimonium dicendum scemina admitteretur, quia testamentum condere potest; malim itaque cum D. Voetio ad *§. h. t.* hanc subungere regulam eos omnes testes esse posse qui ex testamento capere vel testamentum facere possunt, exceptis sceminis, ratio est quia testamenta jure antiquo calatis fiebant comitiis coram populo ubi mulieres non comparebant *Gell lib. 5. cap. 19.* 2. Impuberibus ob rationem supra allegatam *§. 6. §. h. t.* 3. furiosis quia non intelligunt quid agunt *l. 20. §. 4. ff. h. t.* 4. Mutis & surdis si nihil exaudiant vel loquantur *l. 11. §. fin. ff. de oblig.* 5. Prodigis quia furiosis comparantur *§. 2. §. quo non est perm. tac.* 6. Cæcis, quia illi testatorem non cognoscerent, & falsi occasio vix evitari posset *arg. l. 2. C. de testibus.* Ultimo exceptis iis quos leges jubent improbos & intestabiles esse, quales sunt ob crimen famosum damnati, quoniam jure vel sententiâ inhabiles sunt declarati *l. 26. ff. h. t. l. 21. ff. de test.* Hæretici & apostatae quia hæresis sive apostasia est quoddam crimen læsæ majestatis ecclesiasticæ.

VII. Sunt

V I I.

Sunt & quidam qui testamenti factionem quidem habent, sed tamen inhabiles ad testimonium dicendum, quod est vel ratione conjunctionis, vel ratione institutionis, ratione conjunctionis non potest pater testis esse filio in potestate, vel filius ille patri testatori, §. 9. *F. h. t.* nec frater in potestate patris fratri testatori, qui in ejusdem est patris potestate testis esse poterit, ratio quia hic actus eorum est proprius & domesticus *d. §. 9.* sed in alieno testamento pater & filius & duo fratres testes esse possunt. *l. 22. ff. h. t.*

V I I I.

Ratione institutionis est ipse hæres scriptus §. 20. *F. h. t.* ratio est in *l. 10. ff. de test.* ab hoc testimonio non remouentur legatarii sed si attendam ad lucrum & emolumentum legatarii, legatarii ad testimonii dictionem nequaquam admittendi essent, quia testimonium perhiberent in causa propriâ *l. 1. §. 13 ff. quand. appell. sit.* verum hanc rationem non considerat Justinianus, sed quod legatarii non sint juris successores, consequenter inter eos & testatorem non agi causa intelligitur. §. 11. *F. h. t.*

I X.

Sed major dubitatio est inter hodiernos DD. an legatarii & fideicommissarii particulares moribus in testamento testes adhiberi possint, existimant Groenew. *de ll. abrog. ad F. h. t.* & Simon à Leeuw. *cons. for. lib. 3. cap. 2. num. 6.* adhiberi non posse, verum quia nullo nititur iudicato, præterquam si niteretur, iudicatum non faciat legem, neque consuetudine contrarium est introductum ita P. Voet *ad F. h. t.*

X. D.

8. DISPUTATIO JURIDICA

X.

Divisionem testamenti jure posteriori receptam non præmittam, testamentum est duplex scriptum quod testator in scriptis, nuncupativum quod vivâ voce facere voluit, utrumque est duplex solenne vel privilegiatum, solenne quod fit secundum solennitates jure civili requisitas, privilegiatum est in quo quædam solennitates sunt remissæ: talia sunt testamentum ad pias causas quod ordinarias solennitates non desiderat Radel. *decis.* 125. *num.* 34. D. Voet. *ad F. b. t.* testamentum patris inter liberos quod nullos testes desiderat l. 21. §. 1. C. *de testam.* testamentum tempore pestis factum in quo necesse non est ut omnes testes simul sint in conspectu testatoris l. 8. C. *b. t.* tale etiam est testamentum militare quod valet modo de voluntate militis constat. *pr. F. b. t.*

X I.

Qu. An militibus nostri temporis hoc privilegium competat? *affir.* per ea quæ tradunt Ant. Matth. *disp.* 2. *thes.* 8. P. Voet *ad F. de test. milit.* sed milites togati quales sunt Advocati quamvis ratione quorundam privilegiorum militibus comparentur, l. 14. C. *de advoc. divers. judic.* privilegia tamen illa ad eos non pertinent, & meritò ad juris communis testandi formam remittuntur, §. *ut.* *F. de test. milit.*

X I I.

Nihil interest dicit Imperator an testamentum in tabulis, chartis, membranisque scribatur §. 2. *F. b. t.* sed quæritur circa hoc an plures in eadem charta testari possint. Resp. si duo conjunctim de communi hæreditate disponant, nulla dubitatio est quia vim ejusdem personæ sustinent, sed si seorsim

sim disponant an tunc valeat, primo intuitu videtur quod non, quia in testamento nullus actus extraneus intervenire potest, *l. 21. §. pen. ff. h. t.* sed si tamen in scriptis redegerint voluntatem & vocant testes & ita declarant suam voluntatem nihil impimenti video, quin non valeret. Simon à Leeuw. *conf. ser. lib. 3. cap. num. 15.*

X I I I.

Videndum ultimò quomodo testamentum perdat vim & effectum suum, uno verbo, per contrariam voluntatem. Quid si ergo in priori testamento inserta sit clausula derogatoria. Resp. non obstante illa clausula valet adhuc testamentum, *l. 22. ff. de leg. 30.* ratio est quia nemo sibi eam legem, ponere potest ut non posset mutare suam voluntatem, *d. l. 22. ff. de leg. 30.*

X I V.

Sed major de istâ clausulâ derogatoriâ inter celeberrimos JConsultos ac practicos quæstio movetur, nimirum an in posteriori testamento non debeat, fieri mentio istius clausulæ derogatoriæ alii negant, alii affirmant: affirmantium opinio fundata in *leg. 22. ff. de leg. 3.* quæ sententia in foro præ valet uti testantur, Zande *lib. 4. tit. 1. def. 4.* Andr. Fachin. *lib. 4. controuv. cap. 22.* negantium verò opinio in eo quod prius testamentum destitutum sit voluntate per posterius, consequenter dici non posse voluntatis nostræ justa sententia, secundo quod posteriora derogant prioribus, *l. 6. §. 2. ff. de jure codicill.* Ant. Mer. *lib. 4. cont. cap. 46.* quam opinionem in jure veriorum judico in locis ubi juxta jus commune tantum uno testamento potest decedi.

DOCTISSIMO MORUMQUE INTEGRITATE
ORNATISSIMO

VIRO JUVENI,
D. DANIELI GOES, Ult.

*Dum in INCLYTA ACADEMIA Ultrajectinâ juris utriusque
LAUREA condecoraretur.*

Divinum dum Musa tuæ scrutatur acumen
Mentis, Apollineis abstinet illa modis.
Ut tamen excogitat (quamvis moderatio taret)
Quo possit laudes commemorare tuas.
Novimus ingenium, studiorum novimus acrem
Curam, quodque tibi deficit, illa dabit.
Illa dabit quæcunque tibi, nomenque decusque
Quodque animus post hæc postulat, illa dabit
Iux illâ matura fluit prudentia Juris,
Quâ potis es magnos exsuperasse viros.
Lingua tibi dum salva manet, prodesse clienti
Non finis, at miseris ore patronus ades.

Gloria tantorum semper mansura virorum
Te manet, inceptum si modo perstet opus.
Oro igitur, ne siste gradum, legumque peritus
Ad famæ studiis summa vehare tuis.
Iurgo perge; brevi populi cantabere plausu
ULTRAJECTINI fama decusque fori.
Sic mea vota volunt, ac ut post fata superstes
Optati tangas culmina summa poli.

CHRONICUM.

Præstantes JVIS gaVDens VtrIVsqVe trIVMphos
Goes parat, & VICTor Læta trophæa refert.

Applaudit Musa

G. van SCHAICK, J.U.Stud.